



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -  
Cum Indicibus

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1674**

Cap. XV. Ad Tit. XXXIV. De Treuga & pace.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10241**

## CAP. XV.

## Ad Tit. XXXIV. De Treugâ &amp; pace.

## S U M M A R I A.

- |                                    |  |
|------------------------------------|--|
| 1. Treuga vox Germanica.           | 12. A Christianis principibus prohibita. |
| 2. Trustis Antrustio.              | 13. Non sublata tamen.                   |
| 3. Treuga Domini.                  | 14. Diffidatio.                          |
| 4. Lites private armis vindicata.  | 15. Treuga, Trevia Domini.               |
| 5. Campiones qui?                  | 16. Quibus diebus à duellis cessandum?   |
| 6. Taciti testimonium de Germanis. | 17. Treuga Domini magis extenta.         |
| 7. Exempla.                        | 18. Burdinarii.                          |
| 8. Treuga tandem suspensa.         | 19. Passus ecclesiasticæ.                |
| 9. Datis cautionibus.              | 20. Salvatorium, Salvitæ.                |
| 10. Formula cautionis.             |  |
| 11. Feida, Fehde.                  |  |

Treuga vox  
Germanica.

Quâ de Treugâ hoc loco agatur, & quare titulus iste huc positus sit, nondum satis rectè à Glossâ & Canonistis vidè explicatum, qui solâ hac observatione, usum hujus tituli abrogatum esse, omittis antiquitatum indagacionibus, se satis defunctos putant, ut scitè ait eminentissimus P. de Marca, lib. 4. de concord. sacerdot. & Imp. c. 14. De natalibus hujus vocis minimè dubitandum, quin sit Germanica *True*, *Treue*, est data fides, inde *Truete*, *Truyte*, *Truhre*, *Drude*, & corruptius *Drueta*, *eine vertraute Sponfa*, in LL. Salicis, tit. 14. *Getruete*, nupta. Ab eadem origine est *Trustis* & *Antrustio*, ein *Drust*, *Drost*, qui fidem Domino suo promisit, in formulis Marculfi: Inde *Treuga*, fides & securitas ab hostili persecutione promissa. Hanc vocem suam quoque fecerunt Græci recentiores, quibus vel *τρεῖσα* vel *τρεῦα*. Codinus de officio CPol. XIV. §. 12. Meurs. Gloss. Græco-barb. in *τρεῦα*. Vide Dissertationum mearum Academicarum V. th. 2. Erat alia civilis, conventionalis, publica, inter partes solenni bello concertantes pacta, induciæ, Romanis; Alia canonica, quæ

Trustis, An-  
trustio.

treuga



*Treuga Domini* dicta est, quâ de hic titulus. Mos erat nimirum, *Treuga Domini* Germaniæ gentibus, qui Galliam atque Italiam invaserant, lites *mini.* privatas, & inimicitias non legibus per magistratum ponere, sed *Lites pri-* manu ac armis exsequi. A Gothis in Italiam id primum in- *vata armis* vectum suadet epistola Theodorici ad Colossæum Comitem apud *vindictate.* Cassiodorum *lib. 3. Var. 23.* Ab his ad Gundebados morem hunc defluxisse constat ex eorum legibus, quibus res suas ferro repetere licuit, adeo, ut Agobardus Præsul Lugdunensis Ludovicum Pium exhortaretur, ut abrogaret hanc legem, libro adversus Legem Gundobadi. Adeo tamen non obtinuit, quin etiam causæ Ecclesiarum ac monasteriorum dubiæ duello singulari finirentur, datis utrinque *Campiones,* *qui.* *Campionibus,* ut loquebantur, id est, bellatoribus. Idem & apud Francos invaluit qui Lege Salicâ utebantur, ut ex Gregorio Turonensi pluribus locis liquet. Factum inde, ut familiæ nobilissimæ quandoque penitus excinderentur, nullusque litium finis esset, quamdiu aliquis superesset, qui defuncti proximi causam possit suscipere. Nam simul quis unum de familiâ offensum, reliquos omnes adversos habebat, continuo propinquis, affinis, amicis convolantibus, suam suorumve injuriam per arma vindicaturis. Testis Tacitus, qui de moribus Germanorum, suscipere tam inimicitias seu Patris, seu propinqui, quam amicitias, necesse ait esse. Exempla sunt apud Gregorium Turonensem *lib. 5. c. 5. & 32. lib. 6. c. 17. lib. 8. c. 18. lib. 10. c. 27.* Id- *Taciti testi-* que tam diu durabat, donec hujusmodi dissidiis & illatâ cuiquam *monium de* *Germanis.* *Exempla.* *Treuga tan-* *dem suspen-* *sa.* *Formula* *cautionis.* *cautionis.* cæde reparandâ occisorum cognati reo pacem jurejurando promitterent scriptâque cautione darent fidem, se non amplius injuriam defuncti ulturos. Formula ejusmodi cautionis seu reprovissæ securitatis extat apud Marculphum *Formular. lib. 2. c. 18.* Et inter incerti Autoris formulas veteres *c. 23.* quod Lindebrogio est *122.* Et in formulis Romanis *c. 39.* Graphicè descriptum hunc morem exhibet Gregorius Turonensis *lib. 7. c. 47.* Austregisilo per Sicharium interfecto, Sichario à propinquis defuncti variè impetito, donec compositione factâ securitas ei ab adversario daretur. Tunc, inquit Gregorius, dato ab Ecclesiâ argento quæ judicaret, acceptâ securitate componunt, datis sibi invicem per partes



*Feida,*  
*fehde.*

*Ludovici*  
*passim à*  
*Principibus*  
*prohibita.*  
*Non sublata*  
*tamen.*

*Diffidatio.*

*Treuga,*  
*Treua Do-*  
*mini.*

*Quibus*  
*diebus à*  
*duellis ces-*  
*sandum.*

Sacramentis, ut nullo unquam tempore contra alteram pars altera mussitaret, & sic altercatio terminum fecit. Privata hæc bella Feida, *fehde*, appellabatur in legibus Saxonum & Longobardorum & in capitularibus Caroli M. & additionibus. Pessimum hunc morem Christianâ religione susceptâ reprimere conati sunt Principes. Vide Cassiodorum *lib. 3. c. 23.* ubi Colosseo Comiti mandat Sirmiensis Pannoniæ provinciam. Et cap. 24. ubi incolas Pannoniæ hortatur, uti abstineant his monomachiis. Et Carolus M. valde improbat *lib. 5. Capitularium. cap. 180.* minaturque *lib. 5. cap. 134.* Si quis pro Feidâ pretium recipere nolit, & justitiam exinde facere, in talem locum se missurum eum, ut majus damnum non crescat. Repetiit Ludovicus Pius A. D. 828. & Carolus Calvus cognitione Comiti datâ, quam qui detrectabant, ad Principem mittebantur, exilio temporario puniendi. Non potuit tamen excindi hæc grassatio, quin gravius secundæ Regum familiæ temporibus, & initio tertiæ per Galliam exardesceret, & jus belli privati nasceretur, ut notat Bignonius ad Marculphum. Erant isthæc bella privata nec legibus probata, nec omninò damnata: Quin si provocatio, vel, ut tùm temporis loquebantur, diffidatio processisset, pro jure constituto habebantur, ita, ut in adversarium cæde, prædis & incendiis grassari liceret, ut docet Ivo *epistolâ 133.* Fridericus I. apud Abbatem Urspergensem, & Conradus Imperator. Inde moti Episcopi, ut cacoëthes, cum tollere non possent, saltē quadam tenus restringerent, statutis induciis ejusmodi per aliquot saltem dies de septimanâ, quibus à cædibus immunes feriarentur, eosque dies religionis prætextu sacros redderent. Quas inducias Treugam Domini, vel, ut Ivo Carnotensis, Dei treviam appellabant. Id est, à bellis privatorum inter se cessationem seu feriacionem. Primum itaque anno 1031. Episcopi & Proceres provinciarum in Aquitaniâ, deinde per reliquas Gallias, decretis suis, privatis conflictibus inducias indixerant, sub nomine, ut dixi, *Treuga Domini*, à Mercurii supremâ die, usque ad diluculum diei Lunæ sequentis septimanæ, ut nemo ab inimico ultionem sumeret, nemo prædaretur, nemo etiam à fidejussore pignus auferret, pœnâ capitæ, aut exilio, aut excom-

mu-



municatione in prævaricatores statutâ. Meminit Sigebertus Gemblacensis sub anno 1032. Rudolphus Glaber lib. 5. c. 1. fol. 55. his verbis: *Contigit ipso in tempore, inspirante divinâ gratiâ primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorum firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem, taliter, ut nemo mortalium à feria quartâ vesperâ usq; secundam feriam, incipiente luce, ausu temerario præsumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neq; ultionis vindictam à quocunq; inimico exigere, nec etiam à fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum, aut de vitâ componeret, ut Christianorum consortio expulsus patriâ pelleretur, hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut Treuga Domini vocaretur.* Porrò hæ Treugæ Domini à Concilio Claræmontano sub Urbano II. probatæ, & alii etiam feriati dies constituti. Ab Adventu scilicet Domini, usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad octavas Paschæ. Et à primo die Rogationum, usque ad octavas Pentecostes. Additum etiam, ut qui Hierosolymam peterent, eorum bona semper essent in pace & treuga. Hinc factum, ut plurimi huic itineri non zelo pietatis se accingerent, sed ut se à creditorum vexatione eximerent, ut notat Wilhelmus Tyrius. Quod privilegium inde tractum ad Romipetas, & ceteros, quos *Burdinarios* dicebant. Amplificata sunt ista decreta concilio Romano sub Paschali II. cujus quidem concilii canones 2. extant: Sed tamen ex Epistola Guilielmi Ausciorum Episcopi, quæ extat in collectione Regiâ conciliorum tom. 26. ejus decreta deprehenduntur. Habetur & in Historiâ Benearn. lib. 5. c. 14. & in libro Marcæ de primatu Lugdunensi, quo certum Ecclesiis spatium definitum, intra quod homines & res eorum in tuto forent collocatæ, ut videre est tom. 6. collectionis Regiæ conciliorum. Ibi statutum, ut Ecclesiæ salutem habeant triginta passuum circumquaque: Monasteria vero LX. Confer *can. sicut antiquitas. c. 17. Passus Ecclesiastici.* Quem ambitum passus Ecclesiasticos vocat Johannes VIII. Innocentius III. Canonicum spatium *Epistolâ 162. lib. 1. Regesto 13. Salvatoriû,* Ille verò circuitus, qui apud Gregorium, Turonensem Salvatorium



rium dicitur, & Salvitas, die *Freyheit* posterioribus temporibus crucibus undiquaque terminabatur. Ita ambitus Ecclesiæ Parochialis Jenensis etiam hodie dicitur *usm Creuz*. Et ex Actis dedicationis Ecclesiæ S. Martini de Cressanâ anno 1132. ab Arnaldo & Archiepiscopo Narbonensi peractæ probat M. Antonius Dominici. Firmatur etiam ex veteri chartâ, quâ Theobaldus & Odo, Comes Exoldanensis sub Philippo I. Ecclesiæ de Musnete securitatem tanto terrarum ambitu definiunt, quanto volantis sagittæ jactu poterit contineri, jubentque ubi quieverit, ibi ex utroque cæli cardine crucem figi. Vide eruditam dissertationem Fabrotti *de Treuga & pace, & quem jam citavi M. Ant. Dominici, de treugâ & pace, P. de Marcâ de concord. Sacerd. & Imp. lib. 4. c. 14.*

## CAP. XVI.

Ad cap. 1. &amp; 2. de pactis.

S U M M A R I A.

1. Capitulum unde petitum.

3. Capitulum 2.

Capitulum  
unde peti-  
tum.

Medaura.

2. Medaura.

**P**etitum est capitulum I. ex concilio Africano. Id est ex concilio Carthaginensi Africæ primo, & quidem capite XII. ut rectè notat Contius. In primâ compilatione capitulum sic incipit: *Antigonus Episcopus Maturensis. Lege, Madurensis, Urbs Madura, & Medaura, Appulejipatria. Madurus Ptolemæo. Olim Episcopalis sub Archiepiscopo Carthaginensi, inter Numidiam & Getuliam, ubi olim literarum gymnasium, ad quod Divus Augustinus se contulit. In concilio ita legitur: Optantius cum se presentaret, pactum mecum habuit, & divisimus plebes. Manuscriptionis nostræ tenentur pittacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, ut illum patrem, me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se illiciat populorum imperitorum animas contra disciplinam, contra evangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam si sibi id posse contingere arbitraretur, nunquam profecto in fratrem aliquis deliquisset. Unde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disci-*